



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1856

XXIIIb. Bischof Ludwig von Brandenburg bestätigt die Dotation der St.
Jacobi-Capelle zu Burg, am 1. April 1335.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54716)

XXIII b. Bischof Ludwig von Brandenburg bestätigt die Dotation der St. Jacobi-Capelle zu Burg, am 1. April 1335.

In nomine domini amen. Lodewicus dei gracia Brandenburgensis Ecclesie episcopus vniuersis christi fidelibus tam presentibus quam futuris, — tenore presentium publice protestamur, Quod cum Capella Beati Jacobi apostoli extra muros oppidi Borch intra limites tamen Ecclesie parrochialis eiusdem oppidi constituta jam dudum tam rectore quam diuinorum celebratione esset ac eciam fuisset destituta, Strenuus miles, dominus Conradus dictus pyrsek ad ampliationem cultus diuini ac specialem deuotionem, qua prefatum apostolum prosequitur, duos mansos ante predictum oppidum situatos totaliter ab omni prestatione cuiuscumque rei liberos in remedium animarum suorum progenitorum sui ipsius vxoris sue nec non suorum heredum sine omni diminutione juris ecclesie parrochialis in sustentationem rectoris dicte Capelle dotis nomine assignauit, Et nos etiam quatuordecim solidos denariorum magdeburgensium annui census intra oppidum Borch et ante ipsum sitos, ex elemofinis fidelium in dicta capella quondam collectis comparatos, eidem capelle deputauimus et presentibus deputamus, hoc modo quod prefatus miles et sui veri ac legitimi heredes dotatores jus patronatus in dicta capella nunc et perpetuis futuris temporibus obtinebunt et primo idem miles ad placitum suum dictam Capellam conferre poterit, Postea vero, quotienscumque huiusmodi beneficium vacare contingerit, sepe dictus miles vel sui heredes sepedictam capellam conferre debebunt vni ydoneo viro de confratribus kalendarum in borch et nulli aliunde, Etiam si ipsa capella intra muros oppidi borch in posterum transferretur. Si uero prenominatus miles aut sui heredes absque liberis decederent, quod deus auertat; Tunc decanus fratrum kalendarum in borch vnum de confratribus suis Domino Plebano, qui tunc temporis fuerit, presentabit, Cui idem plebanus absque contradictione conferre debebit, dummodo presentatus sit ydoneus, et honestus. Presbiter siue minister dicte Capelle cottidie in ea missam post matutinas celebrabit. Oblationes eciam, Si que ad altare uel ad manus sibi delate fuerint, domino plebano in Borch sine diminutione et fraude aliqua ex integro presentabit. Nos igitur Lodewicus, dei gracia Episcopus supradictus, omnia et singula premissa grata et rata habentes ea laudamus, approbamus et auctoritate nostra ordinaria in nomine domini confirmamus, In Cuius confirmationis testimonium nostrum sigillum presentibus est appensum, Iniungentes omnibus christi fidelibus in remissionem suorum peccaminum, ne deinceps quisquam bona dicte capelle assignata et donata contra iusticiam aliquatenus molestare presumat. Si quis vero predicta bona molestare aut impugnare temere presumpserit, indignacionem dei omnipotentis atque nostram se nouerit grauiter incursum. Et Ego Mathias, plebanus in Borch, consensum voluntarium et plenum dedi et do ad omnia et singula supradicta, Quod sigillo meo presentibus appenso lucide recognosco. Datum in Brandenborch, Anno domini MCCCXXXV, kalendas aprilis, Pontificatus nostri anno octauo.

Nach dem Original des Stadtarchives zu Burg No. 8.